



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 130. Vegæ ac Senogaliensis Episcopi sermo circa hane rem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

bant. Id duntaxat tanquam minime <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
dubium habebant, quod omnes homines <sup>A. C. 1546.</sup>  
peccato originali fuerint infecti, illud-  
que per Baptismum penitus sit remis-  
sum, hinc omnes sententias his verita-  
tibus contrarias tanquam hæreticas ef-  
se damnandas decernebant: exacte au-  
tem, atque ad amissim hoc peccatum  
inter tot pugnantes Theologorum sen-  
tentias definiri haud posse censebant, ea  
utentes cautione, ne cujusdam Catho-  
lici damnetur opinio, unde schismatis  
periculum jure foret metuendum.

## §. CXXX.

*Vegæ ac Senogaliensis Episcopi ser-  
mo circa hanc rem.*

Eadem igitur res gravibus erat obno-  
xia difficultatibus, quippe Andreas  
Vega ex Ordine S. Francisci hanc in rem  
ita differebat: *Neque æquum est, neque in  
quolibet Concilio receptum, opinionem ali-  
quam damnare ut hæreticam, nisi Catholica  
prius stabilita. Qui rationem procedendi in  
omnibus Conciliis intueri velit, facile obser-  
vabit, jacta primum ab iis fuisse fundamen-  
ta orthodoxa, quorum ope hæreses damna-  
rint: idem in præsentia necessario facien-  
dum est: Ecquis enim, ubi teget, Synodum  
Tridentinam damnasse assertionem Luthera-  
nam, quæ asserit, originale peccatum esse*

Pp 5 igno-

Sæcul. XVI. *ignorationem, contemptum, diffidentiam &*  
A C. 1546. *odium rerum divinarum, & totius hominis*  
*depravationem in voluntate, anima & cor-*  
*pore, non confestim, ubi hoc legerit, inter-*  
*rogabit, quid igitur est peccatum origina-*  
*le? aut saltem apud se dicat, quando qui-*  
*dem hæc sententia est hæretica, quæ quæso est*  
*Catholica?*

Marcus Vergerius Senogalliensis Episcopus his subjunxit, quod omnes a Concilio doctrinam sat luculentam, perspicuam, ac dubiis omnibus solutam expectent: cum autem Roma Legatis injunctum esset, ut hunc articulum in proxima Sessione definirent, hi responderunt, Theologos esse vocandos, ut ipsimet hoc Decretum expedirent, ne quicquam suggillandi occasio aliis præbeatur.

## §. CXXXI.

*Peccati originalis Decretum in quadam Congregatione discussum.*

*Pallav. c. 9.*  
*n. 1. & seq.*

**H**anc in rem die octava Junii generalis habitus est Patrum confessus, in quo Decretum a Prælatiis unacum quibusdam Theologis confectum rursus examini subiciebatur. Dicebatur ibi, *Adamum ob præcepti transgressionem amississe sanctitatem, in qua fuerat creatus. Hæc postrema vox fuit commutata in constitutus. Paceco monente, non esse citra controversiam.*